



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua  
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§. 11. Diuinu[m] Iacobi Fortunati è casu omen.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

pulum diceret, veniente altero; & vt alter veniret, cū hoc ipsum diceretur, per quod Deus volebat, alioqui satis sibi cauentem, trahere ad Religionem. O quàm mirabiles hīc modi possent enumerari Vocationum; quibus homines Deus, nihil simile cogitantes, è seculi vanitate extraxit! Et aliquam multos Platus cit. loco recensuit; quos nolo hīc recoquere: qui tamen, si rectè expendantur, ad diuinam Prouidentiam videbuntur spectare; tametsi alioqui, ratione hominum, planè meri *Casus* possent censerī.

## §. XI.

*Diuinum Iacobi Fortunati, è casu, omen.*

Marine-  
us l. 10.  
rer. Hisp.

Quis non Deum potiùs, quàm *Casum* agnoscat, in eo, quod Marineus refert, de Maria Petri Aragonum regis septimi vxore? quæ, antea sterilis, filium, quem tandem peperit, statim ad Ecclesiam misit, ante effigiem Virginis Mariæ, offerendum? Ingrediebatur, cum infante, magna caterua aulicorum, eo ipso tempore quo sacerdotes, qui matutinas preces cantabant (de aduentu, immo de ortu regij infantis ignari) incipiebant canere: *Te Deum laudamus*. Paulo post hinc tota pompa, ad aliam Ecclesiam, cū recens nato filio Regina, venit:

vbi

ubi itidem sacerdotes, nihil minus, quam de tali hospite cogitantes, sub ipsum ingressū venientis turbæ, canere cœperunt: *Benedictus Dominus Deus Israel*. Omen hoc fuisse diuinitus missum, comprobauit rei euentus. Siquidem infans ille Iacobus appellatus, reliquos omnes virtute superauit; post etiam, ob res præclarissimè gestas, *Fortunatus*, dictus est. Haberemus fortè & nos plures *Fortunatos*, si plures ad templum, eiusmodi tempore, quo talia solent cantari, venirent. Sed pauci tam citò se è lecto tollunt, vt matutinis precibus possint interesse. Et putant aliqui, *Te Deum laudamus* cantandum esse, si vel accedant ad preces Vespertinas.

§. XII.

*Kenelmi mors & causa, casu pariter, & miraculo patefacta.*

Per simili, sed infausto casu, cum pueri Kenelmi corpus Winchelcumbam veheretur, soror eius Queadrada, quæ eum, regnandi cupiditate, innocentem iusserat trucidari, ad illum Psalmi locum peruenit:

*Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum, & qui loquuntur mala aduersus animam meam.* Hæc dum, de fenestrâ, noua Michol, irridendo, & ad psallentium læti-

Wilhelm.  
Malmesb.  
de gestis.  
reg. Anglor.

Psal. 108.